



DE UNICORNU. 363

plurimis sudorem movêre sine necessitate se legemque torquentibus. Indicat enim parciori manu consecrandam Diis rem humanis usibus necessariam, nec planè damnat ebur, ut Deorum majestate inferius, sed modum sacrandi temperat, quod minimè assequutus est Cicero in hac L. explicatione: *Aurum autem & argentum in urbibus & privatim & in fanis invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum Deo donum. Quare minùs castum? an quia ex inani corpore depromptum? Talia fanè sunt & alia quæ mortalis conditionis Diis suis offerebant. Quanquam verius videatur non omne ebur damnasse, sed illud ex inani corpore extractum sive loculamentis dentium vacuis. Quæ lucem fcenerabuntur à verbis Plinii, quæ talia in distinctione dentium exstant lib. 8. cap. 3. *Deciduos casu aliquo vel senectâ defodiunt: hoc solum ebur est, cetero, & in his quoque qua corpus intexit, vilitas ossea.* Hincque adeò est quòd rari etiam veteribus sint nobiliores dentes,*

Q 2

tes,